



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. XVII. De Horis Canonicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

milia agere. Fagnan. *ubi supra n. 39.* & Ceccoperius *d. lib. 2. num. 34.* ubi notat, quod Deus non præmiat bonum quod agitur, nisi bene, ac ritè fiat; paria sunt enim, non facere, & non ritè facere. Abb. *in cap. 1. num. 27. de Re jud.*

11. *Quer.* In quo consistat attentio interna? *Resp.* Quod consistit in tribus, videlicet, ut orans attendat primò ad verba, ne unum verbum pro alio dicatur, nevé quid omittatur. Secundò; ut attendat ad significatum, & sensum verborum; & Tertio, ut elevatam habeat mentem in Deum vel eliciendo actus fidei, aut spei, aut charitatis; aut considerando mysterium aliquod Passionis Domini, vel Divinæ essentia. Ceccoper. *d. lib. 2. num. 136.* & Fagnanus *in d. cap. Dolentes num. 39. de Celebrat. Missar.* ubi subdunt, satis esse unam harum trium circumstantiarum in oratione servare. Nicol. *in Flosc. verb. Officium num. 5.* ubi habet hos versus;

Cum Domino psalles, psallendo tu tria serves.

Dirige cor sursum, bene profer, respice sensum.

12. *Quer.* Quotuplex sit Attentio? *Resp.* Esse duplex; actualis, & virtualis. Attentio actualis est, cum quis orando actualiter attendit ad unam trium prædictarum qualitatum. Virtualis verò attentio dicitur, dum quis incipit orare cum actuali attentione, & devoto proposito Deum laudandi; at in prosecutione orationis mens involuntariè distrahitur ad profana. Ceccoper. *aliis citatis d. lib. 2. num. 139.* & Fagnan. *in d. cap. Dolentes num. 46.* Quibus in locis omnes docent, solam attentionem virtuales sufficere ad orandum, & ad fructus orationis obtinendos, videlicet ad satisfaciendum, merendum, & impetrandum; eo quia evagatio mentis non est culpa, sed poena, qua etiam homines Sancti afficiebantur, juxta illud *Psalm. 39. Cor meum deliquit me.* Et est Doctrina S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 13. juxta quam devotos consolari studet P. Franc. Stadiera Soc. Jesu in suo eximio tractatu *De gl' Ingan- ni della Via Spirituale tract. 14. c. 8.* & Alphons. Rodriq. in Magistrali suo libro *Esercizio di Perfezione par. 1. tract. 5. cap. 21.*

13. *Quer.* Quæ, & quot sint causæ distractionum, & mentis evagationis in oratione? *Resp.* Esse tres. Primam, ob miseriam nostræ naturæ, quia post peccatum originale corpus, quod corrumpitur, aggravat animam. Sap. 9. 15. Secundam, ob astutias Dæmonum, qui satagunt impedire orationem, unde fit, ut Ecclesia sæpe repetat in Divino Officio versum illum, *Deus in adjutorium meum intende.* Tertiam, ob ignaviam, & desidiam hominum, qui minus diligentes sunt in reprimendis pravis cogitationibus, dum orant. Rodriq. *d. p. 1. tract. 5. cap. 21.* & Stadiera *d. tract. 14. cap. 8.* Emin. Card. de Lauræa *in d. Opuscul. 2. cap. 13.*

14. *Quer.* Quodnam peccatum committat, qui orando voluntariè est distractus; & non adhibet attentionem neque actualem, neque virtuales? *Resp.* Quod in oratione facta ex mera devotione committit culpam tantum venialem. Sotus *de Just. & Jure lib. 10. quest. 5. art. 5.* Ceccoper. *d. lib. 2. num.*

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

135. Tambur. *lib. 2. in Dec. cap. 4. §. 2. num. 9.* Et de Sacrificio Missæ *lib. 2. cap. 3. num. 7.* In oratione verò ex Præcepto, ut in persolvendis horis Canonicis, vel in Sacro audiendo diebus festivis, duplex est Doctorum opinio; Una, quod deficiente attentione actuali, & virtuali interna, sed existente attentione, & devotione externa, licet orans advertat se esse internè distractum, & velit permanere in distractione, satisfaciatur quidem Præcepto, at peccet tantum venialiter. Ita Tambur. *lib. 4. in Decal. cap. 2. §. 1. num. 19.* Et de Sacrificio Missæ *d. lib. 2. cap. 3. n. 5.* Diana *Coordinat. tom. 3. tract. 6. de Hor. Canon. resolut. 47. & 48.* ubi plurimi & Coton. *Controvers. celebr. lib. 3. controvers. 3. num. 108. & 109.* Altera opinio est, quod orans cum voluntaria mentis evagatione, & advertendo se esse internè distractum, quamvis externam devotionem servet, mortaliter peccet, & non adimpleat Præceptum. Fagnan. *in d. cap. Dolentes num. 50. & 51. De Celebrat. Missar.* Ceccoperius *de Canonicis d. lib. 2. num. 133.* dummodo tamen distractio voluntaria tanta sit, ut Officii, vel Missæ notabilem partem absumat; vel nisi plenè non adverterent ad distractionem, sed tantummodò negligentes forent in mente colligenda. Ceccoper. *ibid. num. 139. Vers. Verum est.*

15. *Quer.* An sint quædam humana auxilia pro mentis evagatione, saltem proluxa, evitanda? *Resp.* Tria præcipuè haberi ex studio piarum personarum. Unum est, recogitare efficaciter in principio orationis, quod homo orando loquitur cum Deo, & stat ad præsentiam Dei. Alterum in fine cujuscunque Psalmi, dum dicit: *Gloria Patri, &c.* elevare actualiter mentem in Deum, & versum illum dicere unà cum omnibus beatis. Tertium, habere in Breviario Imaginem aliquam devotam Deiparæ, vel alicujus Sancti, & frequenter renovare propositum psallendi, ea devotione, & attentione, qua Deipara, vel Sanctus ille orabat. Hoc tertio auxilio uti solitam fuisse mihi retulit Abbatissa Monialium Capuccinarum Paduæ, quæ summæ virtutis Sanctimonialis erat, & obiit in Domino, me adstante, Anno 1678.

CAPUT XVII.

De Horis Canonicis.

1. *Quer.* Quinam obligati sint ad Horas Canonicas recitandas? *Resp.* Tres, videlicet Clerici constituti in Sacris. Regulares deputati ad Chorum. Et Clerici etiam in minoribus, habentes Ecclesiasticum beneficium. Tambur. *in Decal. d. lib. 2. cap. 5. num. 1.* Mastrius *in Theol. Moral. disp. 14. q. 2.*

2. *Quer.* Unde proveniat obligatio recitandi Divinum Officium Clericis beneficiatis? *Resp.* Ex Concil. Lateranens. sub Leone X. sess. 29. cap. 9. Et ex Bulla S. Pii V. Incipit. *Ex proximo.* Pyrr. Corrad. *de dispens. lib. 4. cap. 2. num. 53. & 65.*

3. *Quer.* Quo jure Clerici constituti in Sacris teneantur ad Horas Canonicas? *Resp.*

C 2

Sacer.

20 Erotem, Eccles. Cap. XVII. De Horis Canonicis.

Sacerdotes teneri ex cap. Sacerdotes. De Celebrat. Missar. Diaconos ex cap. ult. dist. 92. Subdiaconos vero ex generali Ecclesie consuetudine. Navarr. De Oratione cap. 7. n. 2. Mastrius d. disp. 14. quest. 2. num. 50.

4. *Quer.* An dentur Clerici in Sacris, qui non teneantur recitare amplius Horas Canonicas? *Resp.* Omnes sequentes non teneri juxta communem DD. opinionem. Primò, ordinatos de facto in Sacris, qui antea Uxorem habebant; vel postea duxerunt ex dispensatione Pontificis. Secundò, damnatos ad Tiresmes, vel captivos infidelium. Tertiò, detentos in publicis carceribus: item damnatos ad mortem. Quartò, affectos aliquo repentino, at maximo morore; ut jactura magni patrimonii, morte alicujus parentis. Ista Tambur. alios DD. allegans d. cap. 5. §. 1. à num. 3. & seqq. Mastrius d. disp. 14. num. 56. in Theol. Morali.

5. *Quer.* An Clerici in Sacris Excommunicati, vel suspensi, vel interdicti, vel degradati teneantur ad Horas Canonicas persolvendas, *Resp.* Teneri, quia non debent reportare commodum ex suo delicto. Mastrius ead. disp. 14. num. 50. quamvis non desint, qui dicant, degradatum non teneri. Tambur. ibid. num. 5.

6. *Quer.* Quinam Regulares teneantur ad Horas Canonicas in Choro persolvendas? *Resp.* Omnes Regulares professos, Choro addictos teneri; & idè tales non sunt Regulares Societatis Jesu; neque Militares Religiosi; qui propterea, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, vel ordinem Sacrum, non tenentur ad officium. Tambur. ubi supra num. 6. Subindè Novitii, & Conversi non tenentur. Mastrius eadem disp. 14. num. 51.

7. *Quer.* An Professi Regulares non recitantes Officium in Choro, peccent mortaliter? *Resp.* Negativè, quando alii sunt, qui suppleant in Choro; nec in eis est contemptus Chori, vel expressi Præcepti Superioris, quem decet in hoc procedere potiùs monitionibus, & salutaribus poenitentiis, quàm Præceptis. Tambur. d. lib. 2. in Dec. cap. 5. §. 1. num. 7.

8. *Quer.* Qualis numerus Regularium requiratur in Choro ad Horas Canonibus ritè persolvendas? *Resp.* Quatuor Regulares saltem requiri; idè, si tanti non sint in aliquo Conventu, non peccant, si non recitent Officium in Choro; quod locum habere etiam in Canonicis Ecclesiarum Collegiarum docet Macign. c. 16. n. 24. & 28. sed ei non assentitur Tambur. ubi supra num. 12. quia hi lucrantur distributiones, & fructus Præbendarum, quæ rigorosius obligant ad recitandum in Choro.

9. *Quer.* An Regulares professi, sed non in Sacris constituti, in Religione Choro addicti, prout etiam omnes Moniales, teneantur recitare privatim Officium, quando absunt à Choro? *Resp.* Hanc esse insignem questionem à DD. agitatam; in qua multi dixerunt, eos & eas non teneri, ut videri potest apud Philippinum de Privilegiis Ignorat. tom. 2. n. 192. 193. & seqq. Sed contrarium videtur verius, quia ex approbata consuetu-

dine Ecclesie tenentur, ut concludit Diana Coordinat. tom. 3. tract. 6. De Horis Canon. resolut. 15. & 16. Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 1. num. 13. & Mastrius d. disp. 14. num. 51. Quamvis mordicus dissentiat novissimè P. Cotonius d. lib. 3. contravers. 3. num. 22. & 26. Cui tamen non adherent Pellizar. de Monialib. cap. 6. num. 14. Neque Donatus de Regularib. tom. 4. tract. 18. 18. q. 9. ubi firmant, Moniales etiam extra Chorum obligatas esse Officium recitare; & ita tenet etiam Afcanius Tambur. de Jure Abbatissar. disp. 15. quas. 1.

10. *Quer.* An Moniales conversæ teneantur sub peccato ad recitandum Officium, in tot Pater & Ave iisdem assignatum? *Resp.* Negativè, ut probat Pellizar. d. cap. 6. num. 14. & seqq. Imò nec tenebitur Monialis prius ad Chorum admissa, & postea de licentia Superioris, & Conventus ad statum conversarum reducta, vel ut magis humilitati vacaret, vel quia litteras sufficienter scire non potest; quod esse concedendum, illa sic instante, docet Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 1. num. 15. & tenet etiam Afcan. Tambur. de Jure Abbatum tom. 2. disp. 10. q. 13. num. 4.

11. *Quer.* Quinam beneficiarii teneantur ad recitandum Divinum Officium? *Resp.* Omnes, & singuli illi, qui beneficium Ecclesiasticum possident, quales sunt Episcopi, Abbates, Canonici, Parochi, & alii beneficia simplicia obtinentes; dummodo sint beneficia Ecclesiastica, quæ scilicet sint instituta cum Decreto Prælati, & in provisione requirant Canonicam Institutionem. Hinc fit, ut obtinentes Capellanas, vel Manonarias Laicas, id est, relictas à personis Laicis cum onere Missarum, quarum plurimæ habentur in hac Diocesi Patavina, quamvis hæc conferantur à personis Ecclesiasticis, ut à Capitulo Cathedralis Ecclesie, vel à Monialibus, tamen non obligant ad Divinum Officium, quia beneficia Ecclesiastica non sunt. Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 1. num. 19. Pyrrh. Corrad. de Dispens. lib. 4. cap. 2.

12. *Quer.* An Coadjutor in Canonicatu, vel Dignitate cum spe futuræ successionis teneatur ad recitandum Divinum Officium? *Resp.* Negativè, donec vivit Coadjutus, quia eo tempore Coadjutor non possidet beneficium. Tambur. ubi supra num. 20.

13. *Quer.* An teneatur ad recitationem Officii, qui tenet beneficium manuale amovibile, vel præbendam aliquam in commendam? *Resp.* Affirmativè. Azor. part. 1. lib. 10. cap. 3. q. 2. 3. & 4.

14. *Quer.* An intrusus in beneficio adstringatur dicta obligatione? *Resp.* Negativè, quando intrusio est talis, ut non faciat fructus suos, puta si ex Violentia, vel Simonia. Sanchez in Opuscul. moral. tom. 1. lib. 2. cap. 1. dub. 73. num. 5. Tamb. d. §. 1. num. 21.

15. *Quer.* Quid dicendum de Clericis habentibus Pensiones Ecclesiasticas? *Resp.* Eos teneri recitare Officium B. Mariæ Virginis ex dicta Bulla S. Pii Quinti 158. Ex Proximo. Nisi fortè recitent Officium Divinum

vinum ob aliud beneficium, vel ob ordines sacros, quia in hoc casu non tenentur ad illud parvum B. Mariæ Virginis Garz. de Benefic. part. 3. cap. 1. num. 116. Tambur. d. §. 1. num. 22.

16. *Quer.* Quid de Resignatorio, nullos fructus beneficii percipiente, donec vivit Resignans? *Resp.* Non teneri ad Officium Divinum, si verè nullos fructus percipiat; ideo secus est, si aliquam portionem habeat, vel quotidianas distributiones, Navar. de Orat. cap. 7. n. 28. Tambur. d. §. 1. num. 23. Pyrrh. Corrad. d. lib. 4. cap. 2. num. 52.

17. *Quer.* Quid de habente beneficium tenue? *Resp.* Probabilem esse utramque opinionem affirmativam, & negativam, quod teneatur scilicet, & non teneatur. Porro teneatur dicitur beneficium, si non excedat redditus sexdecim, vel viginti aureorum ad summum, secundum Doctores, quos allegat, & sequitur Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 1. num. 25. At mihi videtur nimis larga hæc opinio, quia cum idem Tamburinus firmet, tenue dici beneficium, quod tertiam partem non excedit quantitatis requisitæ ad honestam sustentationem, & honesta sustentatio hic Patavii reputetur sufficiens in Ducatis quadraginta; in qua summa constituuntur Patrimonia pro Ordinibus sacris conferendis; idè, si beneficium excedat Ducatos tresdecim in redditibus, non est dicendum tenue ad hoc, ut deobliget ab Officii recitatione, ut tutius videtur sentire Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 31. num. 169. Porro tuenda est opinio Pyrrh. Corrad. d. lib. 4. cap. 2. num. 53. quod omne beneficium, quamvis tenue, obliget ad Divinum Officium.

18. *Quer.* Quid sentiendum, si aliquo anno beneficium pingue fiat sterile, puta ob tempestates, vel alluviones? *Resp.* Alios DD. sentire, quod Officium sit recitandum, nam compensandi sunt anni pingues cum annis sterilibus; alios verò deobligare ab officio in anno sterili. Tambur. ubi utramque opinionem probabilem reputat d. lib. 2. in Dec. cap. 5. §. 1. num. 26.

19. *Quer.* Quid de Clerico habente plura beneficia exigua? *Resp.* Teneri ad Officium, si tertiam sustentationis partem saltem attingant. Tamburin. ubi supra num. 27. ubi advertit; eum, qui plura beneficia, etsi pingua, possidet, teneri ad unicam Officii in die recitationem, quia, etsi plures festivitates de Præcepto cadant in eodem die, satisfacit audiendo unum Sacrum.

20. *Quer.* Quid; si in Ecclesia, ubi quis recipit beneficium, consuetudo sit, non percipiendi fructus per sex menses? *Resp.* Per dictos sex menses non teneri. Tambur. ubi ante num. 28. qui tamen advertit, talem consuetudinem esse damnatam, tum à Concilio Trident. sess. 24. de resor. cap. 14. tum ex Constit. S. Pii V. 106. Incipit Durum.

21. *Quer.* Quid respondendum, si quis habeat titulum beneficii, non autem possessionem? *Resp.* Si per eum stet, teneri ad Officium. Si verò impediatur ob litem, vel aliam legitimam causam, non teneri,

nisi spes moralis sit consequendi fructus etiam pro tempore litis, vel impedimenti. Tambur. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 1. num. 29. 30. & 31. Pyrrh. Corrad. d. lib. 4. cap. 2. num. 51.

22. *Quer.* An sit mortale, si semel, aut bis in anno officium Divinum omittatur? *Resp.* Affirmativè, prout mortale est, semel, aut bis anno omittere audire Sacrum in die festo, vel non jejunare in Quadragesima. Tambur. ibid. num. 32.

23. *Quer.* An, qui Sacerdos est, & beneficium possidet; vel est religiosus deputatus ad Chorum, omittendo officium, peccet unico peccato, vel duplici peccato; scilicet tam contra iustitiam, quam contra Religionem? *Resp.* Probabilius esse, peccare duplici peccato; at probabile etiam esse, quod uno peccato peccet, id est, contra Religionem. Tambur. qui DD. refert d. §. 1. num. 33.

24. *Quer.* Sub qua forma recitandum sit officium Divinum? *Resp.* Sub forma Breviarii Romani à S. Pio Quinto editi, & Clemente, ac Urbano Octavo recogniti; nisi Ecclesiæ sint solitæ per annos 200. supra, alio Breviario uti; prout faciunt Ecclesiæ Mediolanensis, Samburgensis, Leodicensis, & Ducalis Sancti Marci Venetiarum; nec non Monachi Benedictini, Regulares Carmelitæ, ac Dominicani. Tamburin. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 2. n. 1. Maltius d. disp. 14. num. 52.

25. *Quer.* An prædictæ Ecclesiæ, & Religiones possint assumere Breviarium Romanum? *Resp.* Affirmativè, de consensu tamen Prælati, & majoris partis Capituli; & semel facta assumptione, non erit licitum deferere amplius Breviarium Romanum. Lessius lib. 2. cap. 37. dub. 12. num. 74.

26. *Quer.* An, qui habet Breviarium editum sub S. Pio V. vel Clemente VIII. possit cum eo officium recitare? *Resp.* Affirmativè, quia sunt permixta dicta Breviaria, donec consummentur; & tantummodo vetitum est, ea de novo typis mandari. Tambur. d. §. 2. num. 2. & 3. & est Bulla in Brev. Urbani Octavi Incipiens, Divinam Psalmodiam.

27. *Quer.* An Regulares, vel aliæ personæ exemptæ teneantur recitare officium de aliquo Sancto præscriptum ab Episcopo pro sua Diocesi? *Resp.* Affirmativè, si officium illud sit Universale toti Diocesi, puta de Patrono; secus si sit particulare, ut pro Reliquia insigni. Tambur. ubi supra num. 5.

28. *Quer.* An Episcopi possint addere suis Calendariis aliqua officia, vel ritus mutare? *Resp.* Negativè, ut prohibet Decretum Sac. Congregationis in principio Breviarii nuper appolito. Tambur. ibid. d. num. 5.

29. *Quer.* An sit culpa gravis aliquid addere in officio? *Resp.* Negativè, si animo non mutandi ritum fiat; hinc licita sunt Mottera, & Cantus inter unum, & alium Psalmum. Tambur. d. §. 2. num. 8.

30. *Quer.* Quale peccatum sit omittere aliquam partem officii? *Resp.* In hac re duas esse Sententias, Unam, quod officium

¶ 22 Erotem. Eccles. Cap. XVII. De Horis Canonicis.

unius diei mandetur unico Præcepto, & si totum omittatur, unicum peccatum (et si gravius) committi. Alteram, tot esse præcepta, quot sunt horæ, nempe septem; & totidem esse peccata, ea omittere. His perpenſis, ad quaſitum respondendum eſt, varias eſſe opiniones Doctorum quarentium, quæ pars officii omiſſa faciat culpam gravem? Magis communis ſententia eſt, quod omiſſio unius horæ parvæ faciat culpam gravem; & e contra, qui minorem partem horæ parvæ omittit, graviter non peccet. Ita Maſtrius in *Theolog. Moral. d. diſp. 14. n. 54.* Leſius *lib. 2. cap. 37. dub. 9. n. 52.* & Bonacina, cum aliis, quos allegat, & ſequitur Tambur. *d. §. 2. num. 10.* ubi tamen notat, qui parum recitaret unius parvæ horæ, & eam poſtea omitteret, totam omiſſiſe diceretur, & ſic graviter peccaret, quia parum pro nihilo reputatur.

31. *Quer.* An ſit de Præcepto, recitare Officium B. M. V. vel Defunctorum, aut Litanias Sanctorum diebus, quibus in Breviario indicuntur? *Reſp.* Omnes Doctores in hoc eſſe concordēs, extra Chorum nullam eſſe obligationem recitandi prædicta officia, ut patet ex Bulla S. Pii Quinti. Porro circa officium Defunctorum die ſecunda Novembris, & Litanias in die S. Marci, & Rogationum, extant hinc inde opiniones contrariæ, nam alii aſſerunt, alii negant, recitandas eſſe de Præcepto, ut videre eſt apud Pellizar. *tom. 1. Man. Regul. tract. 5. cap. 8. n. 48.* & Coton. *lib. 3. contr. 3. a. n. 67. & ſeqq.* Eſt tamen verum, quod ſerè omnes DD. tenent opinionem affirmativam, & inclinant in eam tanquam probabiliorē; & ſic dicendum eſt, Officium Defunctorum die 2. Novembris, & Litanias in die S. Marci, & Rogationum eſſe de præcepto. Lezana in *Sum. part. 2. cap. 12. n. 23.* & Cecco-per. de *Canonicis lib. 2. num. 192.*

32. *Quer.* An liceat recitare Pfalmos offici Divini in lingua Græca, vel Hebraica, vel vulgari? *Reſp.* Ex aliquo honeſto fine abſque peccato gravi poſſe Pfalmodiam divinam recitari privatè, non autem in Choro, lingua Græca, vel Hebraica; at non abſque gravi culpa in lingua vulgari. Tamburin. *d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 2. à num. 15. & ſeqq.* ubi Pœnitentiam datam in tot Pater, & Ave recitari poſſe lingua vulgari concedit, quia hæc deprecationes paſſim docentur, & cantantur in Scholis Doctrinæ Chriſtiænæ materna lingua.

33. *Quer.* An grave, vel leve peccatum ſit, recitare officium pro officio; aut ſub ritu duplici pro ſemiduplici? *Reſp.* Qui ſic recitat ex aliqua juſta cauſa, vel non culpabili inadvertentia, nihil peccat. Qui verò ſic recitaret ex contemptu, vel aſſumeret officium octavæ Reſurrectionis Domini ob ejus brevitatē pluribus vicibus, utique graviter peccaret. Tambur. *d. §. 2. num. 20.* ubi DD. allegat, & ſubdit, poſſe aliquem craſtina die diſceſſurum à ſua Civitate, incipere in primis Veſperis officium duplex de aliquo Sancto, quod celebratur in loco, ad quem eſt ipſe profeſſurus dicta ſequenti

die. Porro notandæ ſunt duæ Propoſitiones damnatæ ab Alex. VII. anno 1666, nempe la 34. & 35. quæ ſic aſſerebant: *In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit Præcepto.* Item alia: *Unico officio poteſt quis ſatisfacere duplici Præcepto pro die præſenti, & ſequenti.*

34. *Quer.* Dum quis ex itinere reperitur in loco, in quo recitatur officium aliud ab illo, quod in ſua Civitate dicitur, an poſſit, quod ſibi magis libet, recitare? *Reſp.* Affirmative. Tambur. *ibid. num. 26.*

35. *Quer.* An liceat cuilibet ritum Socii, cum quo officium recitat, rationemque ſequi? Affirmative, ſecundum Tamburinum ubi ſupra num. 27. niſi ritus ille ſit ſpecialiter alteri ſocio prohibitus, ut Ambroſianus; Dominicanus, &c. At ego non ita abſolutè hanc reſponſionem admitterem, ſed eam reſtringerem, dummodò ſocius cum alio ſocio recitante aliquam dependentiam haberet. Quid enim, ſi exempli gratia ego Venetiis revertar, & in Cymba ſit Presbyter Venetus, qui recitet officium de Sancto duplici juxta Calendarium Venetum, & invitet me Patavinum ad recitandum ſecum, qui cum eo nullam dependentiam habeo? Quid, inquam, debeo omittere ritum Eccleſiæ meæ Paduanæ, quæ forſan ea die facit de feria, ut ſocium Venetum recitantem de duplici? Igitur in tali caſu, crederem tutius eſſe, ut quilibet de per ſe proprium ritum recitando ſervaret, ut tradit Quintanadven. *tract. 8. ſingul. 8. num. 8.*

36. *Quer.* Quid agendum, ſi quis ex errore omitteret officium alicujus Sancti, & recitaret de feria? *Reſp.* Probabile eſſe, ut prima ſequenti die non impedita faciat officium illius Sancti, & ſic compenſet, quod omiſit; at probabilius etiam eſſe, quod non teneatur ſupplere, ſed recitare juxta præſcriptum Calendarii; ne, ſi una die erravit, altera quoque die recedat à Calendario. Tamburin. *d. lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 29. & 30.* ubi idem ſtatuit, ſi quis anticipatè recitaſſet de aliquo Sancto, quamvis poſt unam partem Officii tantum recitatam errorem cognosceret, nam melius eſt, quod remanet, juxta Calendarium illius diei recitare; nulla tamen ineſt obligatio repetendi id, quod jam recitavit.

37. *Quer.* An Capellanus Monialium poſſit recitare Officium de Sancto, de quo ipſæ Moniales ex indulto faciunt? *Reſp.* Affirmative, dummodò utatur Breviario Romano in recitando, prout poteſt Miſſam de eodem Sancto cum Miſſali Romano recitare. Tamburin. *d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 2. num. 32.* & Quintanadven. *tract. 8. ſingul. 7.* Qui tamen loquitur tantummodò de Capellano Majori, ſeu de Parocho deputato in Eccleſia Monialium. Ego tamen id concederem omnibus Capellanis, dummodo habeant Capellanas in titulum in Eccleſiis Monialium, & ſint beneficiati in eis; ſecus ſi celebrent ob manuales tantum elemoſynas; ut ſunt in hac Eccleſia RR. Monialium S. Petri Paduæ Capellani S. Pauli, & S. Bellini, & nonnulli alii, qui Capellanas perpe-

Erot. Eccl. Cap. XVII. De illis, qui obligati sunt &c. 23

tuas obtinent in hac insigni Ecclesia, & institutionem ac provisionem habent ab hoc nobilissimo Monasterio, juxta tradita per d. Quintanadiv. d. tr. 8. singul. 8. qui concedit his Capellanis beneficiatis, ut possint etiam recitare officium de Sanctiss. Sacramento, de Immaculata Conceptione Deiparæ, & de aliis officiis ex privilegio S. Sedis concessis prædictis Monialibus.

38. *Quer.* An Clericus Romanus possit recitare Officium Ambrosianum aliqua vice? & subinde an Clericus Ambrosianus possit recitare Officium Romanum? *Resp.* Clericum Romanum neque una vice absque gravi culpa posse recitare Officium Ambrosianum, seu alterius ritus à Romano, resistente Bulla S. Pii Quinti. At Clericum Ambrosianum, vel alterius ritus posse recitare Romanum privatim; nisi expresse prohibeatur à suo Superiore. Tamburin. qui alios DD. citat, d. lib. 2. cap. 5. §. 2. num. 33. in Decalogum.

39. *Quer.* Quem ritum servare debeat Clericus advena in officio recitando? *Resp.* Si Regularis est, non potest deferere ritum suæ Religionis. Si verò est Clericus sæcularis, potest recitare officium vel juxta ritum Patriæ suæ, vel Ecclesiæ, in qua habet beneficium, vel loci, in quo moram trahit. Tamburin. d. §. 2. num. 36. & seqq.

40. *Quer.* Quot condiciones sint servandæ in recitatione officii Divini? *Resp.* Sex, videlicet, ut recitetur cum Attentione, Intentione, sine verborum omissione, seu mutilatione, seu interruptione; & sine ordinis inversione. Attentione saltem virtualis esse debet, quia actualis ex humana infirmitate difficillimè custoditur. Intentio consistit in interno proposito Deum orandi, & laudandi: & licet quis Horas persolveret animo non satisfaciendi Præcepto, sed eas iterum recitandi, non tenetur tamen amplius recitare, quia servatur Præceptum, exhibita re præcepta, etiam sine animo servandi Præceptum. Omissio Verborum est cavenda, quod fit ea integra recitando. Mutilatio est vitanda, maximè si lingua præcipiti quis recitet, vel focii finitum versiculum non exspectet. Interruptio non est in usu habenda, nisi ad finem alicujus horæ, cessante tamen aliqua honesta causa; nam causa interveniente interrumpi potest officium in quacunque parte, & deinde satis est illud reassumere ibi, ubi interruptum fuit. Ordinis inversio tandem est cavenda, quia dicere primò Vesperas, postea Horas absque aliqua honesta causa, culpa saltem venialis est, cum causa verò nulla est culpa: & idè, qui habet solum Diurnum, potest recitare Horas; recitaturus postea domi Matutinum, ubi Breviarium tenet. Tamburin. latè d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 3. per tot. & Martius in Theol. Moral. d. disput. 14. num. 52. & 53.

CAPUT XVIII.

De illis, qui obligati sunt recitare Horas Canonicas in Choro.

1. *Quer.* An Canonici, & alii Præbendati in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, qui ad Chori interessentiam tenentur, possint per aliquod tempus à Choro vacare? *Resp.* Eos posse vacare à Choro per tres menses sive continuos, sive interpolatos, ex Concil. Trid. sess. 24. de ref. cap. 12. Sed pro dictis tribus mensibus non lucrantur quotidianas distributiones, quæ interessentibus tantum dantur. Surdus Decis. 75. Ceccoper. de Canonis lib. 2. n. 175. Quæ doctrina limitanda est, si ex consuetudine dentur distributiones absentibus per tres menses, prout dantur in hac Cathedrali Patavina; & hæc consuetudo servanda est. Moneta de Distribut. quotid. par. 2. q. 12. num. 54.

2. *Quer.* An Canonicus, qui abest à Choro ultra tres menses, nihil curans de distributionibus, sed contentus fructibus suæ præbendæ, peccet mortaliter? *Resp.* Pro utraque sententia esse diversos Doctores, quos referunt Tamburin. d. lib. 2. in Decal. cap. 5. §. 4. num. 5. Et Ceccoper. de Canon. d. lib. 2. num. 179. qui inclinat in partem negativam, tanquam benigniorem; tribus tamen concurrentibus conditionibus; videlicet primò, quod non absit ex contemptu; secundò, quod non fuerit ei præceptum à Superiore ad interessendum; tertio, quod alii Canonici sint, qui frequentent Chorum, ita ut Divinum servitium nullum patiatur detrimentum.

3. *Quer.* Quænam sint legitimæ causæ, ob quas etiam in absentia obligatus ad Chorum percipit quotidianas distributiones? *Resp.* Eas esse plurimas in specie, sed in genere reduci ad duas, videlicet, vel ad infirmitatem, seu inhabilitatem personæ, vel ad utilitatem Ecclesiæ; idè hi, qui sequuntur, lucrantur distributiones quotidianas etiam in absentia, & sunt Canonici, qui privilegium obtinent à Sede Apostolica, quales sunt Auditores Rotæ, Commorantes in Curia, Collectores Cameræ Apostolicæ, Pœnitentarii, dum audiunt Confessiones, Theologus Canonicus, quo die legit publicè casus conscientiæ, Canonici interessentes nomine Capituli Concilio generali, Provinciali, vel Diocesano, incumbentes animarum Curæ, quæ imminet suæ Præbendæ, qui accedunt ad S. Limina visitanda, vel Episcopum ad ea accedentem comitantur; absens pro aliquo negotio, vel lite Ecclesiæ Collegiata, vel suæ Præbendæ, qui est infirmus, vel cæcus, vel laborat podagra, vel medicinam sumit, vel sanguine minuitur, qui senio nimio confecti sunt, aut qui aliquo iusto metu non possunt ad Ecclesiam accedere; qui injusta carceratione prohibentur, vel injusta censura vexantur, quas omnes causas examinat, & ad singulas Doctores allegat Barbosa ad Concil. Trident. d. sess. 24. cap. 12. à n. 75. & seqq.

4. *Quer.* An Canonici infirmi debeant habere distributiones, si contraxerint illam infirmitatem ex propria culpa, & peccato? *Resp.* Affirmativè, ex sententia Sacræ Congregationis, quam allegat Fagnan. in cap. Nisi cum pridem. num. 54. de Renunciat. tom. 2. pag. 157.

5. *Quer.*